

Band VIII., Nr. 2949, Seite 211-213

Graf Ludwig von Oettingen schenkt dem Kloster Kaisheim Güter an mehreren Orten.

Ohne Ortsangabe, 1280. März 15.

In nomine sancte et individue trinitatis. Amen. Ludewicus dei gratia comes de Otingen tam presentibus quam posteris universis has litteras inspecturis notitiam rei geste. Quia thesaurus omnis rerum temporalium aut ante mortem deficit aut in morte nos deserit, quicquid autem pie devotionis affectus bene faciendo congregat, in perpetuum non peribit, eapropter in remedium anime nostre predia nostra titulo proprietatis ad nos spectantia, scilicet in Hohenstat apud Husen, quod solvit IV libras VIII solidos et dimidium Hallensium, in Aeitersperc VII libras et XVIII Hallenses, in Bûch IV libras et VIII solidos, in Northusen VIII libras et dimidiam de curia villicaria et feodo Roderii, in Maeingen curia villicaria VIII libras, item curia . . militis quondam de Maeingen VI libras, item feodum, quod fuit eiusdem, III libras, item feodum Kûcharii III libras, item feodum Sifridi Zinsmaister II libras, in Rumelingen curia villici Kerlingi et feodum attinens curie XV libras, in Lebezingen curia Coci VI libras, in Ziswingen molendinum III libras preter IV solidos, in Buchenbach¹ molendinum III libras et IV solidos, in Westersorhaim² VI libras et III solidos preter IV Hallenses, in Motingen inferius molendinum in ripa V libras et V solidos, in Munzingen curia Kastenerii VI libras, ibidem tria feoda VIII libras, in Wlfelingen inferiori feodum preconis XXIII solidos Hallensium, que omnia centum libras Hallensium solvunt annuatim de censibus iustorum proventuum computandis, hec universa et singula cum omnibus suis pertinentiis et iuribus in villis et extra villas in areis ortis agris cultis et incultis pascuis silvis aquis quesitis et non quesitis donamus et tradimus viris religiosis domino . . abbati et conventui monasterii Cesariensis Cysterciensis ordinis Augustensis dyocesis et exnunc ipsos in corporalem possessionem bonorum mittimus eorumdem, tali condicione apposita, ut iidem fratres horum bonorum proprietatem dominium possessionem proventus et quicquid iuris verus possessor in propriis bonis habere poterit per integrum unius anni spatium et diem ex nostre donationis beneficio nanciscantur, hoc vero anno decurso proprietate omnium predictorum bonorum apud dictum cenobium remanente nos de ipsis bonis pro tempore vite nostre recipiemus annum usufructum, fratribus eiusdem monasterii

¹Wohl bei Kleinsorheim abgegangen.

²Wohl Kleinsorheim.

ad lumen, quod ardeat in ecclesia sua, de ipsis bonis singulis annis libram unam Hallensium in recognitionem sue proprietatis et domini soluturi. Sed postquam dominus nos vocaverit ex hac vita, tunc usufructus omnium predictarum possessionum ad antedictum monasterium absolute plenarie et libere revertetur. Cuius usufructus quia pars aliqua nunc est obligata nomine pignoris seu etiam nomine precarie, hinc est, quod nos pro refundendo vel supplendo census huius defectum, qui nunc est aut per nostram obligationem vel qualemcumque alienationem contigerit in futurum, possessiones nostras liberas et absolutas in Baldingen pro tanta summa proventuum, quanta ibi defecerit, sepedicto cenobio assignari precipimus volumus et mandamus. Ita quod super illis proventibus, quos dicti fratres in dicta villa Baldingen recepturi sunt, qui prefatum defectum plene valeant resarcire, ipsis fratribus detur instrumentum speciale nostri sigilli munitum robore vel heredum nostrorum sive tutorum eorundem, quod ipsi restituant, postquam predicta bona sic alienata, ut dictum est, plene fuerint absoluta. Ipsi autem fratres per triginta continuos annos a die nostri obitus numerandos de suprascriptis bonis omnes proventus maiores et minutos recipient, salva sibi indemnitatem laborum suorum et etiam expensarum, quas in suis et circa suas possessiones facere iure debent, et eosdem redditus, sive ultra summam centum librarum Hallensium excreverint, sive infra illam summam fuerint casu aliquo vel impedimento legitimo accedente, dabunt et assignabunt venerabilibus viris, quos ad hoc deputavimus, scilicet predicto domino abbati Cesariensi, fratri Rudolfo priori ordinis Predicatorum in Augusta, fratribus Herbrando et Rutperto eiusdem ordinis et fratri Gotfrido de Laugingen ordinis fratrum Minorum, ut illi, quos executores nostre ordinationis dicimus, locis vel personis, quibus debitores sumus, quod assignatum fuerit, distribuant super suas conscientias et obedientias, quas voverunt, secundum quod saluti anime nostre magis viderint expedire, hoc tamen servato moderamine, ut ea debita, que sub nostri sigilli caractere ipsis assignando specialiter expressimus, ante quevis alia debita persolvantur. Sane si aliquis dictorum quinque huius ordinationis executorum decesserit vel de provincia recesserit preter abbatem, cuius successor abbas etiam in hac parte sibi succedit, de consilio reliquorum quatuor alia religiosa persona subrogabitur pro eodem. Preterea si memorato domino abbati et suis fratribus pinguioris fortune successus arriserit, ut valuerint et voluerint aliquos predictorum triginta annorum preoccupando redimere pro quacunque quantitate vel summa pecunie, quam in suas conscientias et obedientias dicti executores duxerint acceptandam et melius saluti anime nostre convenire iudicaverint, ipsa summa locis et personis, quibus obligati sumus, distribuatur monasterio ipso per annos, quos fratres sic redemerint, ab omni solutionis onere liberato. Ceterum sciendum, quod nulla persona vel locus, cui quocumque modo sumus obligati, nec a sepedicto abbate nec a suo con-

III

ventu ordinationis huius pretextu aliquid exigere potest aut debet, quippe qui solis tenentur antedictis executoribus respondere. Illud insuper est adiectum, quod, si nobis aut ipsis, scilicet abbati et conventui, displicuerit hec preordinata dispositio, quamdiu vivimus, – nam post mortem nostram non poterit retractari, – extunc in spatio temporis, quod inter epyphaniam domini et purificationem beate Marie virginis intercidit, et in nullo alio anni tempore predictam nobis aut ipsis ordinationem equo iure liceat revocare, non tamen aliter nisi nobis ex utraque parte presentibus aut in claustro suo aut in comitatu nostro nobis in eiusdem comitatus nostri terminis constitutis. Ut autem hec omnia maioris habeant roboris munimentum, dilecto consanguineo nostro inclito Cunrado duci de Tecke curam ac tutelam nostrorum liberorum rerum et hominum commisimus de ipsius indubitate fidei constantia presumentes. Qui scilicet dux ad hoc vice sacramenti fide prestita se astrinxit, quod ipse post vite nostre terminum totum, quod per nos ipso sciente et annuente factum est in hac parte, fideliter et efficaciter exequatur, nulli heredum nostrorum quoquo modo hominum castellorum vel rerum ceterarum dominium redditurus, etiam si ad octavum decimum annum aliquis eorum pervenerit, nisi iuret se sepius memoratam ordinationem non solum ratam habiturum et gratam, sed etiam quantum potuerit, promovere studeat super hoc dicto monasterio datis novis et validis instrumentis. Postremo nostri consiliarii ad cooperandum super premissis dicto duci ac per se quantum valuerint fideliter promovendum singuli se obligarunt corporali prestito iuramento. In cuius rei testimonium presentes litteras conscribi fecimus sigillis predictorum ducis ac domini abbatis Cesariensis et nostro firmiter roboratas. Testes insuper huius facti sunt: dominus Otto maior prepositus ecclesie Eistetensis, frater Rudolfus prior fratrum Predicatorum in Augusta, fratres Herbrandus et Rutpertus eiusdem ordinis, viri nobiles Rudolfus de Hurnheim dictus de Alta Domo et Cunradus de Lierheim, item Sifridus de Tûmschelkingen, Gerungus pincerna de Stein, Fridericus dapifer dictus de Maingen, Eberhardus iunior de Gruenberc, Eckehardus de Merkingen milites, item Cunradus Patruus, Reinwart officialis, Heinricus de Laugingen burgenses in Werde et alii plurimi fide digni.

 Datum et actum anno domini millesimo CCLXXX., idus Martii.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 Das runde Siegel des Ausstellers, 63 mm., vgl. die Siegelbeschreibung zu Urkunde 1715 (WUB, Bd. VI, S. 119); von der Umschrift erhalten: . . . GILLVM . COMITIS . LV . EWICI . DE . OETING . . Die zwei anderen Siegel sind abgegangen.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Augsburg

Signatur/Titel des Originals:

Reichsstift Kaisheim Urkunde 226

Überlieferung und Textkritik:

War ehemals im HStA München.

Regesten:

KARL HEINRICH VON LANG: Regesta sive rerum Boicarum autographa ad annum usque M.CCC e regni scriniis fideliter in summas contracta iuxtaque genuinam terrae stirpisque diversitatem in Bavarica, Alemannica et Franconica synchronistice disposita, 13 Bde., Mü, Bd. 4, S. 111. Schaidler: Chronik Kaisersheim, S. 35. GEORG GRUPP (BEARB.): Oettingische Regesten, 3 Bde., Nördlingen 1896-1908, Nr. 318 (unter 1290). HERMANN HOFFMANN (BEARB.): Die Urkunden des Reichsstiftes Kaisheim 1135-1287, Augsburg 1972 (Schwäbische Forschungsgemeinschaft bei der Kommission für Bayerische Landesgeschichte, Reihe 2a, 11), S. 187 f., Nr. 328.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Ortsindex:

Aufhausen : Bopfingen AA
 Aufhausen Wohnplatz (4284)
 Augsburg, A
 Baldingen, Nördlingen, DON
 Buchenbach
 Buchhof, Wassertrüdingen, AN
 Donauwörth, DON
 Dorfmerkingen Wohnplatz (4695)
 Dorfmerkingen, Neresheim, AA
 Dunstelkingen Wohnplatz (4024)
 Dunstelkingen, Dischingen, HDH
 Eichstätt, EI
 Eitersberg, Fremdingen, DON
 Gromberg Wohnplatz (4631)
 Gromberg, Lauchheim, AA
 Hausen, Fremdingen, DON
 Hochhaus, Ederheim-Hürnheim, DON, W
 Hochstadt, Fremdingen, DON
 Hürnheim, Ederheim-Hürnheim, DON

Kaisheim, DON
 Kleinsorheim, Möttingen, DON
 Lauingen,
DLG
 Lierheim, Möttingen, DON
 Löpsingen, Nördlingen,
DON
 Maihingen, DON
 Munzingen, Wallerstein, DON

Möttingen, DON
 Nordhausen Wohnplatz (4974)
 Nordhau-
sen, Unterschneidheim, AA
 Oettingen in Bayern, DON
 Reim-
lingen, DON
 Teck Wohnplatz (437)
 Teck, Owen, ES

Unterwilflingen Wohnplatz (4979)
 Unterwilflingen, Unterschneid-
heim, AA
 Ziswingen, Mönchsdeggingen, DON